Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26131
Copyright: Admont, Benediktinerstift

benedixit dominus. Sed forte dicturus est aliquis. Quid ad rebeccam spiritus sanctus pertinet. cum multis in locis personę pro deo figurate accipiantur. Verumtamen et spiritus sanctus in hebreo RUHA feminino genere dicitur. non quod sexus in deum monstretur. immo ne forte suspicetur. sub regula trium linguarum spiritus sanctus diverse accipitur. In hebreo scilicet ut dixi feminino genere legitur. in greco vero ne sexus in eo credatur pro neutro invenitur. et in latino masculinum discernitur esse. Qui nimirum spiritus sanctus bene per rebeccam intelligitur.

III Et totum est in mysterio quod geritur. non [?]teri ut per vestimentorum fragr[illegible]quebatur [illegible]antiam. christi annuntiatio[illegible]tur. Que nosque cumque baptizati sumus induimus. in quo benedixit nos. non qualicumque sed omni. ut ait apostolus. benedictione spirituali in celestibus. Unde et angelus marię loqui incipiens. a benedictione exorsus ait. Benedicta tu in mulieribus. et benedictus fructus ventris tui. Cuius profecto in spiritu longe odorem trahens prefatus ysaac benedicebat filium. in quo celestis omnis benedictio effloruit. Et bene a deo plenus ager dicitur. quia plena gratia virgo maria pronuntiatur. de cuius utero credentibus fructus vitę effulsit. Et nos inquit evangelista. omnes de plenitudine accepimus gratiam pro gratia. Quapropter obsecro vos o filię tantam ac talem gratiam ne in vacuum recipiatis quę est in christo ihesu. in quo est deus et homo sic unitus. in una eademque persona. ut legatur quam sepe in divinis litteris homo deo coeternus. propter unionem subsistentię. ac deinde deus homini videatur compassus. cum nec viciabilis sit homo. nec passibilis deus. Tamen sic unitus est deus suo corpori. et nullam patiatur fieri inter deum et hominem humana opinione distantiam. ne forte quod absit. alius filius dei et alius filius hominis credatur. presertim quia scriptura sic conectit. et concorporat deum et hominem. ut nec in tempore admodum hominem quasi a deo. nec in passione possit ab homine deum discernere.

Vnde